



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Statv Religionis Christianae, Per Evropam, Asiam,
Africanam, Et Orbem Nouum, Libri IV.**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1619

Cap. XLIII. De Transilvaniae Principatu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11108

Hungariæ regno annumerantur Dalmatiæ, Croatiæ & Slaunionæ regna, quæ hodie partim ab Austriacis, partim à Venetis, partim à Turcis occupantur.

Lingua
Slaunionica.

Lingua porrò *Slaunionica* latissimè patet, estque in multas propagines diffusa, videlicet in *Rutenicam*, *Polonicam*, *Boemicam*, *Illyricam*, *Dalmaticam*, *VVindicam*, aliasque minorum gentium linguas.

Eiusdem linguæ *Slaunionicæ* duplices sunt Characteres, *Rutenici* seu *Moscouitici*, è Græcis deprauati, totidem numero, & figura penè similes, adiunctis paucis barbaris; item *Dalmatici*, qui & *Hieronymiani* dicuntur, eadem potestate, totidem numero, sed figura longè dissimiles. Atque adè duplex est Bibliorum translatio, *Rutenica* recentior, & *Hieronymiana* vetustior.

CAPVT XLIII.

DE TRANSILVANIAE PRINCIPATU.

TRANSILVANIA, Daciæ Ripensis pars est mediterranea: cuius vrbes primariæ sunt, *Hermannopolis*, *Stephanopolis*, quæ & *Corona*, itemque *Brassouia* dicitur, *Claudiopolis*, quæ Academiam habet,

habet, & *Alba Iulia*, Principis sedes. In duabus istis posterioribus vrbibus olim sua Collegia habuerunt Patres Societatis IESV, à Christophoro Batorio, Stephani Poloniæ Regis fratre, & in Principatu successore dotata. Quorum quidem Patrum operâ, anno 1590. Christianus Francus Albæ Iuliæ hæresim publicè abiurauit. Habebat item Alba Iulia Episcopum, Colociensi Archiep. suffraganeum.

Præter Lutheranos & Calvinistas, in hac prouincia plurimi sunt Arianismi sectatores: quam hæresim anno 1566. illuc inuexit Franciscus David, procurante Francisco Stancaro, Italo, Ioannis Sepusij Principis Medico. Quod venenum inde postea in Hungariam, Poloniam, vicinasque Prouincias emanauit. *Ariani.*

Claudiopoli insigne Seminarium fundauit Gregorius XIII. Papa, cum dote amplissima, quam postea Stephanus Rex Poloniæ auxit.

CAPVT XLIV.

DE AVSTRIA, ALIISQVE Prouincijs vicinis, ad gentem Austriacam spectantibus.

Austria, nobilissima Germaniæ regio ad Danubium, habuit primum